



Sammelband 079

Index locorum in hoc volumine  
explicatorum

- nr. 29 Pf. LXXXIV.  
4. Matth. II. 17. 18.  
28 Luc. I. 78.  
10 Act. XIII. 32. 33.  
20 Epist. V. 23.  
18 Gal. I. 34.  
11 Gal. II. 14. 15.  
23 Cor. XIII. 2.  
26 1 Petr. III. 18.  
38 2 Petr. I. 19.  
6 Iud. 9.  
38 Apoc. XII. 16.

27 26

DE  
L O G O PATRVM  
PHILOSOPHIAE FONTE

---

PROGRAMMA  
SACROSANCTIS NATALICIIS

A · R · S · MDCCLX

AB

ACADEMIA IVLIA CAROLINA

DICATVM

---

HELMSTADII

EXCVDEBAT SCHNORRIA VIDVA

DE  
SACROSANCTI  
A. O. T. O. P. A. T. R. V. M.  
P. H. I. L. O. S. O. P. H. I. E. F. O. N. T. E.

---

PROGRAMMA

SACROSANCTI NATALICII

A. R. S. M. D. C. E. L. X.

ACADEMIA IVNA CAROLINA

D. I. C. T. A. T. U. M.

---

H. R. E. M. S. T. A. D. I. I.

EXCELSIORI SCHOLAE IVNAE



ACADEMIAE  
 IVLIAE CAROLINAE  
 PRORECTOR CVM SENATV  
 CIVIBVS SVIS STUDIOIS

S' D' P

**A**ntiquissimi coetus christiani doctores, quos patres dicere consuevimus, diuiniore luce, quae ipsis ex sacris litteris oborta erat, collustrati, philosophiae graecae, quam nauiter ante imbibierant, quam ad CHRISTI castra transfissent, impenseque fouerant, otiosas alucinationes, grauissimosque aequae errores, ac gratissimos philosophis, facile intellexerunt, liquidaque fide proposuerunt publice. Non odii, sed veritatis adfectu permoti, Pythagoream superstitionem, Peripatericam et Epicuream impietatem, Stoicamque simulationem reprehendebant. Philosophorum, qui iam a multis retro saeculis in complures abierant sectas, nulli pepercerunt scholae, sed pro suo veritatis studio, quos propinabant, errores fideliter detegebant, acriterque refutabant. Aristotelico in primis systemati,

A 2

quod

quod et diuinam tollebat prouidentiam, et caullationibus logicis, quibus ipsi mirum vexabantur, nimium delectabatur, nec non mundi aeternitatem, aliosque errores disseminabat, admodum erant infensi. EPICVRVM, tamquam pietati, probisque moribus inimicum, vituperabant, neque ipsius PLATONIS omnia probabant, quem tamen puriora docuisse, omniumque optime de deo, diuinisque philosophatum esse, statuebant. Ipsius tamen philosophiae, quae sapientiae est studium, cum insignes utilitates bene haberent perspectas: omnem omnino contemni, planeque nesciri non posse, statim intellegebant. Sibi igitur aliud faciendum esse nihil arbitrabantur, quam ut, sectaria abiecta, philosophiam quamdam eclecticam amplecterentur. Satis bene, hoc discrimine facto, sibi consulissent pientissimi patres, si recta de philosophia eclectica ipsis fuisset sententia, accurataque eius intelligentia. Quod si enim eclecticam dixissent philosophiam, in qua nihil omnino eorum, quae ad sapientiam consequendam cognoscenda atque agenda sunt, sine certis indubitatique principiis verum statuitur: omnem profecto nostram meruissent laudem. Philosopho enim, si quo alio homine, indignum arbitramur, ex aliorum hominum, magistrorumue auctoritate de vero ac iusto statuere: quam praeconceptam de sapientia opinionem philosophiam sectariam dicimus.

Patrum, qui et ipsi philosophi fuerunt, si quis, non satis attente, legerit scripta, facile sibi, illos ita quoque de philosophia eclectica sensisse, persuadebit: id quod recentiorum auctorum nonnullis accidere, meminimus. In medium iam, Cives dilectissimi, qui huic sententiae admodum fauent, locos aliquot proferre, animus est. Nostis, IVSTINVM, PHILOSOPVM ET  
MAR

MARTYRA, inter primos esse ecclesiae patres, qui re-  
 ctum philosophiae graecae habuere sensum. Is, cum  
 philosophiae studiis se mancipasset, primum Stoico cui-  
 dam se tradidit. A quo cum nihil de deo, multa vero  
 per ambages, nimisque subtiliter disceret, relicto Stoico,  
 ad Peripateticum transit, hominem acutum. Sed is,  
 pro quorundam illius temporis opinione, atque ex IV-  
 STINI mente, non εὐχρηστικός philosophabatur, quod  
 paucis diebus interiectis, ut sibi merces designaretur,  
 petiit. Ita hoc tulit molestum IVSTINVS, ut ob hanc  
 solam causam, fonticam scilicet, magistrum desereret.  
 Sapientiae vero amore incitatus ad Pythagoreum quem-  
 dam, magni aequae nominis ac supercilii hominem, ac-  
 cessit. Qui cum ex illo, laudabiliter profecto, quaere-  
 ret, num προπαιδεύματα verae philosophiae, artes scilicet  
 liberales, pro illius, vitam et nostri, temporis di-  
 scendi ratione haberet perspectas, sine quibus ad veram  
 sapientiam aditus paret nemini, ac IVSTINVS, se illas  
 ignorare, ingenue fateretur, eum a se dimisit. Quo fa-  
 cto cum Platonico versatus est, ex cuius de deo doctri-  
 na tantum profecit, ut, breui se deum esse conspectu-  
 rum, sibi persuaderet. Quod ut facilius obtineret, ho-  
 minum societate relicta, in solitudinem abiit, ubi qu-  
 dam serenum vultum, sanctosque prae se ferens  
 mores, eum aggressus, multa de vera philosophia, deo,  
 Christo et variis diuina luce illustratis disputauit. His  
 randem permotus, IVSTINVS doctrinam christianam  
 A. C. CXXXII amplexus est. Pace vestra, Lectores,  
 haec paucis narraſſe liceat, quae non inutiliter a noſtra-  
 A 3 tibus

I Fusius haec leguntur in IAC-  
 BRUCKERI V. C. Hist. Crit.  
 Phil. Per. II. Part. II. p. 367

sequ. et in CVII. CAVE S. ri-  
 ptor. Eccles. Hist. Litt. Litter.  
 Vol. I. p. 60.

tibus legentur, cum iam in viam nobis redeundum sit. Christianorum philosophorum is princeps ecclesiam talem commendat philosophiam: 2 "Εσι γὰρ τῷ ὄντι φιλοσοφία μέγιστον κτήμα, καὶ τιμιώτατον Θεῷ, ὡς προσάγει καὶ συνίστην ἡμῶς μόνῃ· καὶ ὅσοι ὡς ἀληθῶς ἑτοί εἰσιν, οἱ φιλοσοφία τὸν νῦν προσερχομένους. Τί ποτε δὲ ἐστὶ φιλοσοφία καὶ ἡ χάρις κατεπέμψθη εἰς τὰς ἀνθρώπους, τὰς πολλὰς λήληθεν. ἢ γὰρ ἀνὴρ Πλατωνικοὶ ἦσαν, ἀδὲ Στωικοὶ, ἀδὲ Περικατητικοὶ, ἀδὲ Θεωρητικοὶ, ἀδὲ Πυθαγορικοὶ, μιᾶς ἕσσης ταύτης ἐπιστήμης. ἢ δὲ χάρις πολύκρανος ἐγενήθη, θέλω εἰπεῖν. συνέβη τοῖς πρώτοις ἀφαιρένοισι αὐτῆς, καὶ διὰ τῆτο ἐνδόξοις γενομένοις, ἀκολαθῆσαι τὰς ἔπειτα, μηδὲν ἐξετάσαντας ἀληθείας περὶ, καταπλαγέντας δὲ μόνον τὴν καρτερίαν αὐτῶν καὶ τὴν ἐγκράτειαν, καὶ τὸ ξένον τῶν λόγων, ταῦτα ἀληθῆ νομίσαι ἢ παρὰ τὴν διδασκίαν ἕκαστος ἔμαθεν· εἶτα καὶ αὐτὰς τοῖς ἔπειτα παραδόντας ταῦτα ἅπαντα καὶ ἄλλα τάτοις προσεκοίοντα, τῆτο κληθῆναι τῶνομα ὅπερ ἐκαλεῖτο ὁ πατὴρ τῶ λόγου. Est namque reuera philosophia maximum bonum, et deo gratissimum, quippe quae sola nos ad illum adducat, eique commendat. Atque non demum vere sunt felices, qui mentem philosophia excollunt. Quid autem sit philosophia, et qui de causa ad homines sit demissa, permultos latet. Non enim essent neque Platonicum, neque Stoicum, neque Peripateticum, neque Theoreticum, neque Pythagoricum, cum ea una sit scientia. Quam vero ob causam in plures illa abierit factiones, dicam. Qui primi hanc attigere, et ob id praeclari fuerunt, accidit, ut eos successores illorum confectarentur: non illi quidem de veritate aliquid perquirentes, sed fortitudinem dumtaxat et continentiam ipsorum, nec non uouum orationis nitorem cum stupore admirantes, eaque vera esse arbitrantes, quae a magistro quisque didicisset. Qui deinde successoribus quoque suis

2 In Dial. cum TRYPHONE 1686. fol.  
initio p. 218. C. D. edit. Col.



*suis eiusmodi omnia, atque alia item hisce similia tradentes, eo appellati sunt nomine, quod ipsius disciplinae obtinuerat parens. Quis non ex his luculenter videt, IUSTI NVM vnā philosophiam, diuinitus demissam, commendare, quae, per sectas dispersa, nos vere felices reddat, deoque commendet? Evidentius adhuc CLEMENS ALEXANDRINVS eclecticam hanc philosophiam describit: 3 Φιλοσοφίαν δὲ, ἢ τὴν Στωϊκὴν λέγω, ἢ δὲ τὴν Πλατωνικὴν, ἢ τὴν Ἐπικουρείοντε καὶ Ἀριστοτελικὴν, ἀλλ' ὅσα εἴρηται παρ' ἑκάστη τῶν εἰρηθέντων τῶν καλῶς, δικαιοσύνην μετὰ εὐσεβῆς ἐπιστήμης ἐκδιδάσκοντα, ΤΟΤΟ ΣΥΜΠΛΗΝ ΤΟ ΕΚΑΕΚΤΙΚΟΝ φιλοσοφίαν φησὶ. ὅσα δὲ ἀνθρώπων λογισμῶν ἀποτεμόμενοι παρ' ἑξῆς ἄξων, ταῦτα ἐν ἀντοτῆ θεῶν εἰποιμ' ἄν. Philosophiam autem non dico Stoicam, ac Platoniam, aut Epicuream, et Aristotelicam, sed quaecumque ab his sectis recte didici sunt, quae docent iustitiam cum pia scientia, НОСТОТΥМ SELECTΥМ dico philosophiam: quaecumque autem ex humanis amputata cogitationibus adukeravunt, ea numquam diuina dixerim. Elegans sane philosophiae est definitio CLEMENTIS, quae sapientiam homines doceat, siue eam hominis praestantiam, qua verum et bonum intellegit, atque a falso et malo distinguit, illudque appetit, hoc fugit. Hanc selectam esse, dicit, ex omnibus sectis, seu eclecticam. Eandem philosophiam LACTANTIUS describit: 4 Quod si existisset aliquis, qui veritatem sparsam per singulos, per sectasque diffusam colligeret in vnum, ac redigeret in corpus; is profecto non dissentiret a nobis. Sed hoc nemo facere, nisi veri peritus ac sciens, potest. Verum autem non nisi eius scire est, qui sit doctus*

a

3 Stromat. Lib. I. p. 288. B 4 Diuin. Institut. L. VII. c. VII.  
edit. Col. 1683. fol. 4. 5. edit. BUNEMANNIA  
NAE p. 896.

## VIII

a deo. Neque enim potest aliter repudiare, quae falsa sunt; eligere ac probare, quae vera, sed si vel casu id efficeret, certissime philosopharetur. Plures, VI GREGORIVM THAVMATVRGVM, 5 aliosque breuitatis causa praeteriit.

Hos patrum locos qui non accurata satis diligentia inuestigauerit, facile inde sibi persuadebit, eos talem ecclesiam philosophiam commendasse, qualem supra descripsimus. At multum hic a vero aberrabit, ut iam curatius demonstrabitur. Scilicet cordati hi patres Platonicae philosophiae quam maxime adhaerebant, illi tamen, quae Alexandriae syncretismo quodam in schola Pythagoreo Platoniorum ΠΟΤΑΜΟΝΙΣ auspiciis docebatur. Huius dogmata cum christianae religionis doctrinis mire confundebant, atque adeo, quae sibi omnino aduersabantur, componebant. Quo studio factum quoque est, ut quae PLATO de mente diuina docuerat, illi ad λόγον υποστατικόν, aeternum dei filium, quem ex scripturis didicerant, peruerse applicarent. Cum igitur PLATO statueret: ὁ τὸν μὲν ἕν εἶναι πάντων αἰτίον, καὶ κοσμήντα πάντα κοσμεῖν, καὶ ἕκαστον τιθεῖν ταύτη ὅπη ἀν θέλησει ἔχη mentem esse omnium causam, omniaque exornare, singulaque per hanc ita esse disposita, ut optime disponi poterant: platonici hi patres, τὸν Λόγον seu CHRISTVM omnis quoque verae philosophiae causam esse ac fontem, putabant. Ita nimirum sibi persuadebant, omnibus hominibus diuini luminis scintillam inferuisse diuinam prominentiam, latereque hanc virtutem rationis, siue λόγος in CHRISTO, vnigenito dei verbo, qui se hac ratione  
ex

5 Orat. panegy. in Orig. p. 10. 6 In PHAEDONE p. 72. F' edit. edit. Hoeckh. Francof. 1602. fol.

ex parte gentilium animis manifestauerit, hacque auro-  
ra ad recipiendum euangelii solem animos praeparauerit.  
Quaecumque igitur inter omnes sectas sparsa inuenirentur,  
et cum sacra Apostolorum doctrina conspirarent, ea vel reliquias esse reuelationis illius naturalis,  
vel thesauros, a philosophis gentilibus Hebraeis et Christianis  
subreptos. Ex his veritatis reliquiis collectionem factam  
philosophiam quamdam eclecticam constituere, credebant.  
Quaecumque igitur lucem habuerint philosophi profani,  
quasque veras doctrinas, praesertim de deo cognouerint,  
eas omnes ex participatione τῆ λόγῃ esse profectas,  
CHRISTVMQUE, dei verbum, fontem omnium, quae vera est,  
philosophiae fuisse.

Diſtis noſtris vt fidem faciamus, tam IVSTINI  
MARTYRIS, quam CLEMENTIS testimonia proferre liceat,  
ex quibus haec patrum sententia luculenter apparebit.  
Ita autem prior: 7 Μεγαλειότερα μὲν ἔν πάσης ἀν-  
θρωπείῃ διδασκαλίᾳ φαίνεται τὰ ἡμέτερα· διὰ τὸτο λογικὸν τὸν  
ὄλον τὸν Φανέντα δι' ἡμᾶς Χριστὸν γεγονέναι καὶ σῶμα καὶ λόγον,  
καὶ ψυχὴν. ὅσα γὰρ καλῶς αἰεὶ ἐφ' ἔτεχοντο καὶ εὖρον οἱ φιλο-  
σοφῆσαντες ἢ νομοθετήσαντες, κατὰ λόγῃ μέρος ἐνέσεως καὶ  
θεωρίας ἐστὶ ποιηθέντα αὐτοῖς. ἐπειδὴ δὲ ἔ πάντα τὰ τῆ λόγῃ  
ἐγνώρισαν, ὅς ἐστι Χριστὸς, καὶ ἐναντὶα ἑαυτοῖς πολλὰς εἶπον·  
καὶ εἰ προγεγραμμένοι τῆ Χριστῷ κατὰ τὸ ἀνθρώπινον λόγῃ πει-  
ραθέντες τὰ πράγματα θεωρεῖσαι καὶ ἐλέγχειν, ὡς ἀσθεῖς καὶ  
περίεργοι εἰς δικαστήρια ἤχθησαν. ὁ πάντων δὲ αὐτῶν εὐνοώ-  
τερος πρὸς τὸτο γινόμενος Σωκράτης, τὰ αὐτὰ ἡμῖν ἐνεκλή-  
θη. καὶ γὰρ ἔφρασαν αὐτὸν κατὰ δαίμονια εἰσφέρειν, καὶ ἄς  
ἢ πόλις νομίζει Θεὸς, μὴ ἠγείσθαι αὐτὸν, ὁ δὲ δαίμονας μὲν  
τῶς

7 In Apol. I. p. 48. B. C. D. E. et p. 49. A.

B

τῶν Φαύλων, καὶ τῶν πειζάντων αἰθέρασαν οἱ ποιηταί, ἐκβα-  
 λῶν τῆς πολιτείας, καὶ Ὀμηρον, καὶ τῶν ἄλλων ποιητῶν παρα-  
 τῆσθαι, τῶν ἀνθρώπων ἐδίδαξε· πρὸς Θεῶν δὲ τῶν αἰγνώστων αὐτοῖς,  
 διὰ λόγου ζητήσεως ἐπίγνωσιν προειρέπετο εἰπὼν· τὸν δὲ πατέρα  
 καὶ δημιουργὸν πάντων ἔθ' εὐρεῖν βάλδιον, ἔθ' εὐρόντα εἰς πάντας  
 εἶπεν ἀσφαλῆς. ἂ ἡμέτερος Χριστὸς διὰ τῆς αὐτοῦ δυνάμεως  
 ἔπραξε. Σακερατεῖ μὲν γὰρ ἄδει ἐπισεύθη ὑπὲρ τέτα τῶ δόγ-  
 ματος ἀποθνήσκων· Χριστῷ δὲ τῶ καὶ ὑπὸ Σακερατῶν ἀπὸ μέγισ-  
 τῶν γνωσθέντων, (λόγος γὰρ ἦν καὶ εἶν ὁ ἐν παντὶ ὢν, καὶ διὰ τῶν  
 προφητῶν προειπῶν τὰ μέλλοντα γίνεσθαι, καὶ δι' αὐτοῦ ὁμοιο-  
 παθεῖς γενομένη καὶ διδάξαντος ταῦτα) ἡ φιλόσοφοι εἰς φιλο-  
 λόγοι μόνον ἐπέσθησαν, ἀλλὰ καὶ χειροτέχναι, καὶ παντελῶς  
 ἰδιώται, καὶ δέξιν, καὶ φέει, καὶ θανάτω καταθερόνσαντες·  
*Longe ampliores esse res nostras doctrinis humanis, omni-  
 bus constat: ob id, quod qui nostra causa apparuit, Chri-  
 stus rationalis ex parte omni factus est corpore, ratione et  
 anima. Et quaecumque recte quous tempore dixerunt  
 et inuenerunt philosophi aut legumlatores, iuxta eam  
 partem, quae rationis, inuentionis et contemplationis  
 est, id ab eis est factum. Quia autem non omnia, quae  
 rationis sunt et verbi, id quippe Christus est, peruide-  
 runt et promulgarunt, cum diuersa a se ipsis et contraria  
 persaepe dixerunt, tum qui ante Christum fuere, quod rati-  
 one pro captu humano inmixti res plerasque contemplari,  
 explorare et arguere contenderint, tamquam impii et cu-  
 riosi ad iudicum tribunalia sunt protracti. Qui autem ad  
 hoc omnium inter eos fuit vehementissimus Socrates, eius-  
 dem nobiscum est accusatus criminis. Nam illum, dictum  
 est, noua daemonia inferre, et quos ciuitas censeret esse,  
 ipsum non putare deos. At ille daemones quidem malos, et  
 eorum, quae poetae descripserunt, patratore, vrbe exegit:  
 hominesque vt Homerum et poetas alios vitarent, docuit,  
 et ad ignoti eis dei per rationis et verbi inquisitionem  
 cohort-*

cohortatus est, dicens: Parentem autem et opificem uniuersorum neque inuenire facile, neque inuentum in vulgus promulgare tutum est. Quae Christus noster virtute et potentia ipse sua praestitit et fecit. Ac Socrati quidem certe nemo tantum fidei habuit, ut pro placito eiusmodi mortem perferret: Christo autem, qui et a Socrate ex parte est agnitus, (Ratio enim et Verbum fuit et est in uniuersitate rerum existens: qui et per prophetas, quae futura erant, vaticinatus est, et per se ipsum haec, par nobis perpeffionibus factus, docuit) non philosophi et philologi i. e. sapientiae et sermonis rationisque amatores tantum, sed etiam manuarii artifices, atque idiotae rudes, profus gloriam, metum et mortem flocci facientes, persuasione firma adducti crediderunt. Quae verba satis probant, IV

STINVM Christum et rationem idem habere: quaecumque ergo philosophi rationis ope de deo, diuinisque habuerint perspecta, ea ex participatione CHRISTI cognouisse, cuius et SOCRATES et alii philosophi participes facti fuerint. Haec vero ita cognita sanam efficere philosophiam. Idem paullo inferius testatur: 8  
 ἕκαστος γὰρ τις ἀπὸ μέγας τῶ σπερματικῶ θεῶι λόγῳ τὸ συγγενὲς ὁρῶν, καλῶς ἐφθέγγετο· εἰ δὲ τάναντία αὐτοῖς ἐν κυριωτέροις εἰρηκότες, ἐκ ἐπισήμην τὴν ἀποπτον, καὶ γνῶσιν τὴν ἀνέλεγκτον φαίνονται ἐσχημένοι. ὅσα ἔν παρα πᾶσι καλῶς εἰρηται, ἡμῶν τῶν Χριστιανῶν ἐστὶ τὸν γὰρ ἀπὸ ἀγεννήτας καὶ ἀβήτου Θεῶ λόγον μετὰ τὸν Θεὸν προσκυνῶμεν καὶ ἀγαπῶμεν, ἐπειδὴ καὶ δι ἡμᾶς ἀνθρώπος γέγονεν, ὅπως καὶ τῶν παιδῶν τῶν ὑμετέρων συμμετοχος γενόμενος, καὶ ἔκτισιν ποιήσεται. οἱ γὰρ συγγραφεῖς πάντες, διὰ τῆς ἐνώσεως ἐμφύτου λόγου σπαράξας, ἀμυδρῶς ἐδίδαντο ὁρᾶν τὰ ὄντα. ἕτερον γὰρ ἐστὶ σπέρμα τινὲς καὶ μίγμα κατὰ δύναμιν δοθὲν, καὶ ἕτερον αὐτὸ ἔκκατὰ χάριν τῆν ἀπ' ἐκείνου ἢ

B 2

μετασία

μετασια καὶ μίμησις γίνεται. Pro se enim quisque (philosophorum) ex parte naturae, sibi in se insitae divinae rationis, id quod affine et cognatum sibi esset cernens, recte promulgavit. Qui autem et hisce contraria de rebus maioris momenti dixerunt, scientiam consistentem, et notionem irreprehensibilem eos consecutos non esse, apparet. Quaecumque ergo apud omnes recte dicta sunt, nostra, Christianorum sunt. Ingeniti namque et ineffabilis dei rationem ac verbum secundum deum et adoramus et complectimur: quoniam nostra causa id homo factum est, ut perpeffionum nostrarum participatione medicinam nobis faceret. Nam scriptores omnes propter rationis semen insitum, perquam tenuiter ea, quae sint, cernere potuerunt. Aliud est enim semen alicuius, et imitatio pro virili parte concessa; et aliud ipsum (semen primum) per cuius gratiam inde prouocientem, participatio illa et imitatio exsistit. Ac tandem: ὁ τὸν Χριστὸν πρῶτον τοῦτον τῶ Θεῷ εἶναι ἐδιδάχθημεν, καὶ προσεμνήσαμεν λόγον ὄντα, ὃν πᾶν γένος ἀνθρώπων μετέσχε· Christum primogenitum dei esse, insituti sumus, et rationem ac verbum esse, cuius uniuersum hominum genus est particeps, antea ostendimus. Ex quibus locis inter se collatis, IVSTINVM de λόγῳ ἐνυποστάτῳ loqui, apparet, qui idem sit CHRISTVS, cui et vaticinia vatum hebraeorum tribuenda, et quicquid verae cognitionis in philosophis profanis emicuerit. Hoc verbum sese omnibus impressisse et infudisse, atque ex his innatis λόγοις diuini seminibus istas veritates exortas, quas de deo gentiles cognouerint. Nouus hinc error IVSTINO se insinuaui, quo SOCRATEM, HERACLITVM, aliosque philosophos, qui ex λόγοις, rationis instinctu melius de deo, eiusque cultu senserint, atque ex eius praeceptis vixerint

rint, christianos i. e. salutis aeternae participes factos, sibi persuasit. Cum vero absque CHRISTO nulla possit, ex ipsa IUSTINI mente, sperari salus: eum hunc λόγον CHRISTVM habuisse, qui istis philosophis sit patefactus, inde satis appareret, nisi expressis id saepius, quae modo dedimus, verbis λόγος ἐστὶ Χριστός, ratio est Christus, indicasset. 10

Eadem quoque est CLEMENTIS ALEXANDRINI sententia, quam ita proponit: ἢ τὴν δὲ σοφίαν, ἔμπροσθεν γινώσκων, θεῶν τε καὶ ἀνθρώπων πραγμάτων κατάληψιν τὰ βεβαίαν ἔσσαν καὶ ἀμετάπτωτον συνειδησίαν, τότε ὄντα, καὶ τὰ παρεχόμενα, καὶ τὰ μέλλοντα· ἐν ἰδιδάξατο ἡμᾶς διαίτε τῆς παιδείας, διαίτε τῶν προφητῶν ὁ Κύριος, καὶ ἔστιν ἀμετάπτωτος ὑπὸ λόγου παραδοθέντα ταῦτα καὶ πάντας ἀληθῆς ὑπάρχει βεβήσει, ὡς διὰ τῆς οὐκ ἐγνωσμένης - ταύτης ἐν τῆς σοφίας ἐπιθρέψῃ ἢ φιλοσοφία, τῆς ψυχῆς, καὶ τῆς ἐξουσίας τῆς λόγου, καὶ τῆς τῆς εἰς καθαρότητος, ἀγαπητικῆς καὶ φιλητικῆς διαίτε-θῆσα πρὸς τὴν σοφίαν, καὶ πάντα πράττεσα ἕνεκα τῆς τυχῆν αὐτῆς. Φιλόσοφοι δὲ λέγονται παρ' ἡμῶν μὲν, εἰ σοφίας ἐρῶντες, τῆς πάντων δημιουργῆς, καὶ διδασκάλου, ταῦτα γνώσεως τῆς οὐκ τῆς Θεῶ· Sapientiam autem, solidam rerum diuinarum et humanarum cognitionem, firmam quamdam et stabilem, et quae non potest excidere comprehensionem, et quae comprehendit ea, quae sunt, et praeterita et futura: quam nos docuit per suam praesentiam et per prophetas dominus, estque eiusmodi, ut non possit excidere, ut quae a verbo sit

B 3 tradita.

- 10 Hanc τῆς λόγου significationem, qua CHRISTVM indicat, non attendit videtur IOAN. CLE-  
RICVS in Histor. Eccles. saec. II. p. 624. vbi de ratione, mentis proprietate, sermonem IUSTINO fuisse, falso sibi persuadet.
- II Stromat. Libr. VI. p. 642. A. B. C

*tradita. Ideo quoque omnino verus est voluntate, ut quae sit cognita per filium. - - Hunc ergo sapientiam concepit philosophia, animae et verbi rectitudinis, et vitae puritatis, quae est benivole affecta in sapientiam, et omnia facit, ut eam consequatur. Philosophi autem apud nos quidem dicuntur, qui amant sapientiam, quae est omnium opifex et magistra, hoc est, filii dei cognitionem. Vnde scilicet apparet, CLEMENTEM philosophiam eius sapientiae studium dixisse, quae sit per filium cognita, quamque per suam praesentiam aequae ac per vates homines docuerit. Quae vero ista τὴ λόγος sit praesentia, ex antecedentibus facile colligi poterit.*

Ipsis patrum verbis huc usque declaratam ac munitam de λόγος, philosophiae fonte, sententiam paullisper iam, pro scripturae angustia, examinabimus. Philosophiae, quam commendabant, ecclesiae principium esse statuobant λόγον, verbum dei, seu CHRISTVM, eiusque ambitum absoluebant quadam theologia s. de deo, divinisque doctrina. In utroque sane errarunt beati patres. Quod si enim quadam λόγος participatione philosophi gentiles sapientiam suam essent consecuti, idem hoc foret, ac si ex revelatione illam cognovissent. Non igitur satis rationem a revelatione, duo haec cognitionis nostrae principia firmissima, distinxerunt, quod tamen in philosophicis disciplinis fieri omnino debet. Haec enim non ex lumine quodam supernaturali cognoscendae sunt, sed recto rationis usu, ac meditatione ita instituta, ut alias ex aliis enunciationes ex bonae methodi regulis deriuemus. Genuinae philosophiae ecclesiae fons atque origo sunt ista principia, homini naturalia, quibus omnis humana nititur cognitio. Quae cum vel sit necessaria, vel fornita, illa ex repugnantiae, haec

ex



ex rationis determinantis principio recta ratione deducitur. Quidquid igitur aeternis hisce, necessariisque humanae scientiae fulcris obganniant *ἄλογοι* homines: sunt tamen, manentque omnis sanae philosophiae, immo verae sapientiae, fontes ac regulae. Deinde vero nimis arctis limitibus suam philosophiam eclecticam circumscribebant patres, quam veris quibusdam theologis dogmatibus absoluebant. Quaecumque enim de deo, rebusque diuinis cognouissent philosophi profani, ea omnia *λόγῳ* adscribebant, eiusque participationi: cum tamen philosophia ex PYTHAGORAE mente sit *γνώσις θεῶν τε καὶ ἀνθρώπων πραγμάτων*, seu UT CICERO latine pronuntiauit, *notitia rerum diuinarum et humanarum, causarumque, quibus haec continentur*.<sup>12</sup> Antequam enim ad rectum dei sensum ascendere potest mens hominis, multas variasque perspectas habeat doctrinas, necesse est, sine quibus nullus ipsi ad veram *θεολογίαν* patet aditus. Sed ista quasi *προπαιδεύματα* a patribus vel ignorabantur, vel negligebantur, qui omnem hanc dei notitiam ex supernaturali lumine, quod illis non indiget, deriuabant. Quod si igitur quis patres hos theosophos, et philosophos Mosaiscos dixerit, illi plane adsentimur. Priores enim, diuiniorum sibi fingentes philosophiam, illam non ex rationis usu, sed ex interna quadam diuini luminis scintilla hauriri, sibi persuadebant: posteriores vero ex scriptis MOSIS ac CHRISTI omnem philosophiam addiscendam putabant. Cum igitur patres, philosophos gentiles omnem suam veram philosophiam vel *λόγῳ* patefactioni, vel scriptis Mosaiscis debere, arbi-

tra-

<sup>12</sup> De Officiis Libr. II, c. II. p. 192. edit. GRAEVIANAE

## XVI

trarentur: theosophorum ac philosophorum Mosaico-  
rum illos adscribere gregi, nulli dubitamus.

Quamvis vero procul dubio in hoc errauerint pi-  
ssimi patres: quaeri tamen hoc loco non inutiliter pos-  
set: num CHRISTVS philosophiae fons, alio licet fen-  
su, dici commode possit? Ita sane est, neque, qui hoc  
neget, fore arbitramur quemquam, CHRISTI, eiusque  
apostolorum doctrinam philosophiae fontem, aliqua  
certe ratione, dici posse. Hac enim collustrata homi-  
num mens non solum multos errores, quibus antea con-  
stringebatur, perspexit, vitauitque, sed plura quoque  
ipsi innotuere principia, ex quibus recto rationis usu,  
quae graeci, romanique philosophi ignorabant, cognos-  
cere potuit. Non igitur est, quod miremur, in phi-  
losophia nostra nos multa doceri, quae, nisi τῆς τοῦ  
Φῶς τῶν ἀνθρώπων haec hominum lux 13 homines illustras-  
set, omnino ignorarentur. Veri nominis philosophum,  
haec fateri, minime pudet: quin in CHRISTVM, eius-  
que doctrinam foret iniurius, nisi, quae illi debentur,  
ipsi quoque accepta referre voluerit. CHRISTVS enim  
cum suis legatis humano generi τὸ λογικὸν ἄδολον γάλα  
*rationalē, et alienum a fraude lac* apposuit, 14 ipsique  
τὴν λογικὴν λατρείαν *cultum rationalem* commendauit, 15  
qua disciplina ipsis viam ostendit, occasionemque prae-  
buit, vt et in religione, sic et ceteris in disciplinis ra-  
tione sua recte vtendi. Vtinam haec christianae religi-  
onis praestantia a pluribus melius perspiceretur. Tan-  
tam sane non haberet aduersariorum multitudinem, qui,  
cum

13 Ioan. I, 5.

14 1 Petr. II, 2.

15 Rom. XII, 1.

cum prae ceteris rationales esse, atque ultra vulgus sapere cupiunt, illam tamen contemptum habent, ridentque, cum tamen CHRISTI doctrina, rectaque ratio indissolubili vinculo cohaereant, neque a ratione, nisi ingratiſſima, sperni possit. Quod si igitur hanc ob causam CHRISTVM philosophiae fontem dicere quis voluerit, huic omnino non repugnabimus.

Ex iis, quae hactenus disputauimus, satis luculenter apparebit, quae patres de patefactione λόγος, inter philosophos gentiles facta, docuerunt, nullo prorsus niti fundamento. Incidimus in hanc quaestionem, cum piis meditationibus multo certior, luculentior atque euidentiorem λόγος in terrarum orbe patefactionem, τὴν τῆς Λόγος ἐπιφάνειαν, apparitionem CHRISTI in carne, quae his diebus in Christianorum coetibus sacris celebratur, prosequeremur. Hoc enim sanctissimo tempore ὁ Λόγος, verbum dei, in humana natura hominibus apparuit, seque et gentibus profanis manifestauit. Quam nos sumus, Ciues dilectissimi, felices, quibus factae huius in carne apparitionis CHRISTI memoriam gratissima mente recolere, contigit, cum auspiciatissima haec tempora religiosissimus quisque sub antiquo foedere impensissime desideraret. 16 Nostis, c. d. quanta beneficii, hac seruatoris natiuitate in nos omnes collati, sit magnitudo. Actum enim omnino fuisset de nobis, nostraeque salute, nisi sapientissimus deus pro sapientiae suae immensa magnitudine hoc vnico remedio in vulnerata

cau-

16 Matth. XI, 3. Marc. XV, 43. Luc. II, 25. 38.

XVIII

causa nostra usus fuisset. Nostis praeterea ineffabilem amore, quo vniuersum humanum genus profecutus est optimus seruator, cum caro fieret, omnemque humanam sortem ac conditionem, vnico peccato excepto, subiret. 17 Quantis sacrosancta haec natiuitas inter omnes reliquas eminuerit praerogatiuis, Vos diu iam edocti estis. Altissimi dei filius nascitur. Illum parit intermerata virgo. Natiuitatem eius caelestes copiae praedicant. Illo nato gloria in supremis deo, in terra pax, atque erga homines beneuolentia caelitus inculcarur. 18 Ab oriente venerunt magi, eum adoratum, obtuleruntque ei munera, aurum, rus et myrrham. 19 Nata est in hoc infante salus, quam omnibus expositam populis parauit deus, lumen gentibus patefaciendum, et Israelitarum gloria. 20 Quid igitur nostrum putatis esse, cum annua sacra IESV DOMINI, in lucem editi, rite celebranda sunt? In id scilicet nobis est incumbendum, vt ardentissimas deo pro tanto beneficio agamus gratias, neque illas solum festis his diebus, sed in omni nostra vita. Eo nobis enitendum erit, vt id beneficium nostrum faciamus desiderio, consensione, fiducia, laetitiis, laudibusque aeternum celebrandis. Agite igitur, Ciuēs, annua haec sacra ita obeamus, vt, missis otiosis contemplationibus, toti in hanc nati seruatoris cogitationem ingrediamur, eamque sollempnibus publicis sacris alamus. Nolite, quaesumus, ista contemtim habere, aut prorsus negligere, sed ferias vestras in cultu dei, faciendaque re sacra transigite, annorumque exeuntium, ineuntiumque vicissitudines CHRISTO consecrate. Inter  

pias

17 Hebr. II, 17. III, 15.

18 Luc. II, 14.

19 Matth. II, 2, II.

20 Luc. II, 30. 31. 32.

XVIII

pias has exercitationes tandem, suppliciter precari, ne obliuiscamur, CHRISTVS pacifer vt festam pacem cum anni conuersione terris restituat: ita enim otio, quo patriam, atque in primis Academiam nostram prae tot aliis dignatus est deus, non omnino erimus indigni.

P. P. in Academia Iulia Carolina d. VIII. Cal. Ian.  
qui in factis sacris est vigilia natalis IESV  
DOMINI ANNO MDCCCLX



LVII

Einige Bemerkungen über die  
Geschichte der Stadt  
Magdeburg von  
Johann Christoph  
Gottlieb

1784

Magdeburg

Verlag des Verlegers

in Magdeburg

bei J. G. Neumann

und Neumann

in Magdeburg

1784

Magdeburg

Verlag des Verlegers

in Magdeburg

bei J. G. Neumann

und Neumann

in Magdeburg

1784

Magdeburg

Verlag des Verlegers

in Magdeburg

bei J. G. Neumann

und Neumann



153883

X 2286633 ✓

ULB Halle  
007 138 997

3



ND 18

R





27 26

DE  
Λ Ο Γ Ω, P A T R V M  
PHILOSOPHIAE FONTE

---

PROGRAMMA  
SACROSANCTIS NATALICIIS

A · R · S · M D C C L X

AB

ACADEMIA IVLIA CAROLINA

D I C A T V M

---

HELMSTADII

EXCVDEBAT SCHNORRIA VIDVA

